

SCRIPTA

Numéro Scripta : 187

Auteur(s) : Alain Ier le Grand, Bretagne (duc)

Bénéficiaire(s) : Nantes, Saint-Pierre et Saint-Paul (cathédrale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : douteux

Datation : 889

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Alain [Ier], duc de Bretagne, donne à l'église de Nantes le village de Canisy (?) en Cotentin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Merlet René, *La Chronique de Nantes (570 environ-1049)*, Paris, Picard, 1896, p. 68-72.

Dissertation critique

Le passage mis entre crochets est « rédigé sous forme d'invocation à saint Pierre, semble être une interpolation, faite vers le XIe siècle à la charte authentique du duc Alain le Grand. » (MERLET, *La Chronique de Nantes*, p.70 note 5)

Texte établi d'après a

Firmiter credimus et nullatenus dubitamus ad immortalitatis praemium pertinere in munere quodeumque in hac vita laboriosa geritur pro Dei sanctorumque omnium veneratione, dicente Scriptura : Omnes honorificantes me honorificabo, et qui spernunt me erunt ignobiles. Et iterum movemur, dicente Sapientia : Age quod agis, operare quod operaris, non cesset mauns tua vel pes tuus, quia nec opus nec ratio nec misericordia est apud inferos quo tu properas. Ideoque, ego Alanus, Britonum gratia Dei dux, quia cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, sanctorum gloriam fide devota, mente sincera cupiens mercari, dum licet, anno igitur incarnationis Dominicae DCCCLXXXVIII, notum fieri dignum duximus omnibus sanctae Dei ecclesiae fidelibus praecipueque successoribus nostris, quomodo vel qualiter venerabilis Namneticae sedis Landramnus episcopus, una cum consensu et hortatu Coledoch, fidelis nostri, nostram adiens celsitudinem, significavit nobis res quondam proprii privilegii beatorum apostolorum Petri et Pauli ordine iniquo fuisse sublatas a praedecessoribus nostris, postulans obnixequae deprecans, ut quod illi commiserunt per cupiditatis culpam, nos emendare studeamus pro vita aeterna consequenda. Cujus petitionibus libenter annuendo, in primis pro Dei amore seu etiam pro gloriosissimorum principum Petri et Pauli, necnon etiam beatissimorum martirum Donatiani et Rogatiani veneratione et nostrorum peccatorum absoluteione, per hoc praesens deliberationis nostrae testamentum praefatae denuo ecclesiae eas res designamus, ita ut, ab hodierna die et in reliquum ibidem jure perpetuo subditae, cum omnibus sibi pertinentibus deserviant sine alicujus impulsione repetitione. Quae praefatae res sunt sitae in pago Constantino, in territorio cujus vocabulum est villa Canabiacum ; quod totum et ad integrum, sicut a principio, cum omnibus suis appendentiis, mobilibus et immobilibus, quaesitum et adquirendum, misericordia Domini indigentes, praefatae Sancti Petri reformamus ecclesiae, primo videlicet pro absoluteione reatus nostri, necnon etiam pro venia et indulgentia fratris nostri Pascuitani, ut ei Dominus vitam concedere dignetur perpetuam, seu etiam amicorum et parentum nostrorum incolumitatis et sanitatis statu, Oreguen, uxoris nostrae, Judicael, Coledoch et pro omnibus propinquis atque

consanguineis nostris, tam pro vivis quam et pro his, qui ex hoc jam saeculo transierunt, ut eis Rex regum et Dominus dominantium sua pietate, intercedentibus omnibus sanctis suis, vitam concedere dignetur perpetuam ; et nos, qui in ista positi sumus peregrinatione, pro sua gratuita bonitate gubernet, sua quoque providentia inter mundanas protegat tempestates et conservet, ut ad illam lucem, in qua ipse cum sanctis suis gloriosus est, feliciter in beneplacito suo pervenire cum fructu bonorum opum concedat. — [Praetera, subnixis precibus, praefatum gloriosissimum principem apostolorum Petrum, fuis lacrimis, postulamus, cui ab ipso Domino specialiter est collata potestas ligandi atque solvendi in coelo et in terra, dicente Domino : Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis. Ut ipse venerabilis princeps, junctis secum sanctorum omnium choris, suis precibus apud piissimum Dominum absolutionem obtinere decertando satagat, ut nobis, pius et propitius, adhuc in hac valle lacrimarum degentibus, omnia bona profutura concedat, et tribuat in fide credibilitatem, in labore virtutem, in actibus prosperitatem, in pace laetitiam, sensus nostros dirigat, in prosperis adsistat, in adversis manum porrigat, in tentatione adjuvet, in infirmitate relevet, in anxietate laetificet, detque nobis angelum suum custodem Michaellem, qui nos custodiat in omnibus viis nostris, actus probet, opera nostra confirmet, et vota perficiat ; ipse quoque Rex regum, Dominus, ab alta sede coelorum praeterita nobis peccata indulgeat, praesentia emendet, futura moderetur, sicque manus ejus auxiliatrix et brachium sanctum ejus ab omni incursu malo nos protegat jugiter et defendat, sitque ejus misericordia super nos et pietas illius praeveniat et sequetur, ut, sine ulla offensione, majestatis suae praecepta servando, ipso opitulante, ad gaudia aeterna feliciter pervenire valeamus, ut videre possimus Deum deorum in Syon.] — Praesens vero testamentum, pro reverendis cultibus rite solemniterque celebrandis, manu humilitatis nostrae propria subterfirmavimus, et annulo nostro insigniri jussimus, atque nobilium virorum manibus astipulandum commisimus, ut plenior per succedentia tempora obtinere valeat vigorem, in nomine summi et omnipotentis Dei. Si quis vero, daemoniaco arreptus spiritu, ab hodierna die et deinceps hoc recuperatum testamentum infringere vel modo quolibet contraire tentaverit, indissolubili nodo anathematizatus, sententiam perpetuae damnationis incurrat, pariterque cum Dathan et Abiron ac Juda proditore ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, sine fine possideat, nullamque recuperationis gratiam neque in hoc saeculo neque in futuro consequi posse confidat, nisi, quantocius resipiscens atque omnipotenti Deo satisfaciendo et ad veniam provocando, quod unquam appetere tentavit velociter emendare festinet. Precamur etiam, per sanctam vivificae Trinitatis majestatem, sive per Deum ac tremendum judicium aut diem judicii, quem omnes venturum exspectamus, successorum nostrorum piam reverentiam, ut hoc nostri memorialis testamentum ita perpetuis temporibus salvum et integrum servare studeant, quemadmodum sua facta a suis aequae successoribus optant perpetuis saeculis servari indemnata.